



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis**

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,  
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis  
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario  
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi  
decalogi Praecepto

**Godeau, Antoine**

**Augustae Vindelicorum, 1774**

Caput V. Beneficiorum pluralitatem sacti Patres damnant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

Joannis Chrysoſtomi Homiliam 26. prætermitto, qua abuſum infectatur, quo ſui ævi Epifcopi & Clerici Eccleſiæ bona prodigebant: acrem reprehensionem illa continet, & noſtri ſæculi mores videtur carpere.

Hactenus dicta ſatis oftendunt, eccleſiaſticiſ bonis luxum, vanitatem, commoda Clericorum non eſſe fovenda. Porro nonne ut hæc foveantur vitia Beneficia Beneficiis copulantur? Majoresne eleemoſynas largiuntur qui plura Beneficia poſſident? Nonne Beneficium unicum juxta canonicas leges, quæ a luxus legibus longe abſunt, beneficiato eſt ſufficiens? Hæ legum diſpenſationes, quæ ad tuendam dignitatem neceſſariæ appellantur, vera juxta ſanctum Hieronymum plerumque ſunt latrocinia. *Amico* (inquit ille ad *Nepotian.*) *quidpiam rapere, furtum eſt; Eccleſiam fraudare, ſacrilegium eſt; accepiſſe quod pauperibus erogandum ſit, & eſurientibus plurimis vel cautum eſſe, vel timidum, aut, quod apertiffimi ſceleris eſt, aliquid inde ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat.*

C A P U T V.

*Beneficiorum pluralitatem ſancti Patres damnant.*

Uterius progrediuntur ſancti Patres; erenim docent Clericos, qui aliunde habent unde vivant, nihil de Eccleſiæ bonis poſſe ſibi vindicare. *Clericos illos* (inquit ſanctus Hieronymus

mus ad Damasum Papam) convenit Ecclesiam stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur. Qui autem bonorum parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium judiciorum sibi manducant & bibunt.

Idem sentit sanctus Augustinus inquit. Si privatim possidemus quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum provisionem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus (cap. 50. ad Bonif.). Eius discipulus sanctus Prosper pariformiter loquitur: Nec illi (inquit lib. 2. de vita contempl. c. 9.), qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccata suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De Clericis quidem dicit per Prophetam Spiritus sanctus: Peccata populi mei comedunt: sed si nihil habentes proprium non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt; sed possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt. Non illos omnes propterea damno, qui patrimonialia bona habentes Beneficium aliquod possident, sed istam hinc illationem erui posse censeo; videlicet si iuxta Patres veteremque Ecclesiam qui suis abundant, non poterant ex Ecclesiae bonis victum accipere, non licebit profecto plura simul modo habere Beneficia, quae victus necessitatem longe superant. Allatum sancti Prosperi textum Cardinalis Bellarminus sic explicat: Nisi hoc modo datur

hæ opiniones concilientur, ut dicamus sanctum Prosperum loqui de illis, qui plene sufficientem habent sustentationem ex patrimonio aut Beneficio; tunc enim alterum est superfluum, & proinde pauperibus debitum (tom. 2. Controv. l. 1. de Cleric. c. 87.).

Post examinatos Beneficiorum redditus, eorum fundationem, & obligationes spectemus: certum est enim contra fundatorum intentionem non posse Beneficia possideri, idque per se patet, & ex jure constat. Porro numquam voluerunt fundatores hominum luxum, delicias, vanitatem fovere; quod ex Beneficiorum pluralitate evenit: igitur contra illorum voluntatem plura Beneficia unus possidet. Ad Beneficia instituenta eos permovet Dei honor, pauperum ibidem degentium subsidium, & debitum Ecclesiæ servitium, veluti Missarum celebratio: hinc vulgatum illud axioma: *Beneficium datur propter officium*. Juxta hanc regulam nulla extant Beneficia natura sua simplicia, sicuti modo dantur, quæ possessores ad solam divini Officii recitationem obligent, de quibus illud repetere possumus: *Ab initio autem non fuit sic* (Matth. 19.). Antiqua rudera, quæ simplicium Prioratum adhuc supersunt, satis declarant Priores olim ibi moratos; semper autem verum erit, contra Fundatorum intentionem & donationem Beneficiorum possessionem esse non posse legitimam, neque ullam in hoc tractu temporis mutationem fieri posse: si fundationis acta quis consulat, intelliget, quæ Beneficio adnexa sint onera. Qui

plura Beneficia habet, omnibus eodem tempore  
 servire nequit: exempli causa nequit Abbas plu-  
 res simul Abbatias colere, patrisque ibi officium  
 juxta nomen suum exercere. At illas Ecclesia  
 in commendam dedit: nec ego quod ab Ecclesia  
 fit improbabo. Verum quamvis Abbates com-  
 mendatarii jurisdictionem in monachos non ha-  
 beant, non eos tamen exemptos puto ab onere  
 in suis Abbatibus residendi, aut in illarum villis,  
 quarum ipsi primitivi sunt Parochi, a quibus  
 decimas exigunt, quarum propterea pauperes  
 debent alere, & populos docere.

Ex Beneficiorum pluralitate admodum scelerata  
 & injusta oritur inter Clericos inaequalitas;  
 dum enim hic plura Beneficia possidet, alius  
 Ecclesiae futurus utilior nullum habet. Qui  
 utiliter eidem servire ministri possent, & uni-  
 ter plerumque serviunt, fame pereunt; qui  
 vero turpibus eam moribus dehonestant, panibus  
 abundant. Nonne haec est crudelis immen-  
 tas, communisque matris Ecclesiae contemptus,  
 bona illius sibi vindicare, illisque rapere, qui  
 ejusdem filii aequae sunt, & plerumque digno-  
 res? Si in ulla societate distributiva servanda  
 est justitia, sane in Ecclesia, quae plena est justitiae,  
 id fieri convenit. In qua umquam bene-  
 morata Republica contigit, ut unus munera om-  
 nia dignitatesque obtineret? Nonne Ecclesiae  
 corpus pluribus membris constat, quorum sin-  
 gula suam actum habent, & conveniens mini-  
 sterium? possuntne nimis multi esse idonei ac  
 fideles ministri, qui illi serviunt? Ut unus  
 explere

expleatur avaritia, Beneficiorum pluralitate hoc illudve membrum a corpore abscinditur. Quot pauperes adolescentes apte concionarentur, populosque docerent, si congruum ad vitam sustentandam Beneficium adepti in Clerum cooptarentur? Hinc qui plura uni Beneficia conferunt, & qui accipiunt, in Ecclesiam peccant, & sacrum ejus divinumque Corpus in monstrum vertunt.

Ita loquitur sanctus Gregorius magnus: ejusque vitæ auctor Joannes Diaconus refert (*Lib. 2.*), eum numquam consuevisse duo ecclesiastica Officia uni tradere, & dicere solitum: *Singula ecclesiastici juris Officia singulis quibusque personis singulatim committi debere.* Quia sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem non eundem actum habent; ita in Ecclesiæ corpore, secundum veridicam Pauli sententiam, in uno eodemque spiritu alii conferendum est hoc officium, alii committendum est istud, neque uni quantumlibet exercitæ personæ uno tempore duorum rerum officia committenda sunt; quia si totum corpus est oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa Officia & robur corporis servat, & pulchritudinem representat, ita varietas personarum per diversa nihilominus officia distributa, & fortitudinem & venustatem sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est ut in uno corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita mirum noxium, simulque turpissimum, si singulorum ministeria personis totidem non fuerint distributa (*Can. singula. Dist. 89.*).

Eadem

Eadem contra hunc abusum invehitur Joannes Papa XXII. in Extravaganti, quæ incipit *Execrabilis*, quam sic concludit: *Unde inter cætera inconvenientia infra scripta nascuntur, quod videlicet interdum unus, qui unum, quavis modicum, officium vix implere sufficeret, plurimorum sibi vindicat stipendia, quæ multis literatis viris, vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, possent abunde sufficere æquæ distributione collata.*

Guilielmus Episcopus Parisiensis, celebris ille Theologus, pariformiter loquitur. *Dum enim, inquit, aliquis Decanus, Præpositus in alia, Cantor in tertia, Archidiaconus in quarta, quid est nisi monstrum spirituale in corpore universalis Ecclesiæ? Assueti autem hujusmodi monstris, vel potius horrificam eorum monstrositatem non videntes, ad ea jam expavescere nescimus.* Post Tridentinum Concilium Beneficia, quibus animarum cura est adnexa, incompatibilia cæteri scio, neque ab una eademque persona plura haberi posse, quia singula residentiam exigunt. Sed aliorum pluralitas haud paulo majorem excusationem meretur, sicuti enim antea diximus, Beneficiorum naturæ, ac distributiivæ justitiæ illa adversatur: præterea Beneficium quodlibet natura sua peculiarem residentiam requirit, aut personale servitium, quod pluribus simul locis exequi nequit (a).

CAPUT

(a) Multiplex igitur deformitas in Beneficiorum pluralitate occurrit. I. Deus suo cultu privatur; magis